

BERSMANI Gregorii

ELEGIARUM LIBRI

(868 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition publiée à Leipzig, en 1591, chez Michaël Lantzenberger.

GREG. BERSMANI ANNAEBERGENSIS ELEGIARUM

LIBER I.

ELEGIA I.

IN REDITUM PHILIPPI JOACHIMI V. CLARISS. F. CAMERARII,
POSTQUAM LIBERATUS ESSET CUSTODIA PII IV. PONTIF. MAXIMUS.

E1_1	v.1	Ereptum dubiae tandem discrimine vitae,
	2	quod tibi Romulea casus in urbe tulit :
	3	gratulor incolumi patriam tetigisse recursu,
	4	o curae pretium, dulce Philippe, meae.
	5	Teutonicas late volitabat fama per urbes,
	6	flebilis et meritis inficianda tuis :
	7	quem non Adriaci furor implacabilis aestus,
	8	Antiphataeque domus laeserat hospes atrox.
	9	Haud Laestrygoniis humanior ille colonis,
	10	litoris hos Tusci qui tenere sinus,
	11	non Alpes crudae, non invia saxa feraeque,
	12	huic dura innocuo vincla parasse Pium.
	13	Quod scelus ut nostras allatum perculit aures,
	14	vox haesit subiti muta pavore metus.
	15	Ac longum post ausa loqui, meliora precemur,
	16	alme parens (inquit) tu meliora feras.
	17	Hinc tamen ut retegens animum nubecula cessit,
	18	non fuit haec penitus credita fama mihi.
	19	Vel quia jura vetant externo sanguine quemquam,

20 impia non facto crimine vincla pati :
 21 atque, Philippe, tuae longo mihi cognitus usu,
 22 ille tenor vitae labe carentis, erat.
 23 Vel, quia tarda fides gestis, quae credita laedunt,
 24 quodque perhorrescit mens, negat esse ratum.
 25 Credere quae jubeant locus est, et didita terris
 26 Romanae Sphingis perfidia, atque dolus,
 27 illa sinistra animum mihi per praesagia versant,
 28 alternante meam speque metuque fidem.
 29 At postquam de te mihi certior adfuit auctor,
 30 maesta tui digitis charta notata patris,
 31 tum vero attonitum praesentis imagine casus,
 32 occupat insuetus frigida membra tremor.
 33 Et mecum : En tua mendaci quam nomine jactas,
 34 Falsipie, en pietas, en tua sancta fides !
 35 Hospita sic praebes Germanis tecta, laresque
 36 haec sunt hospitii jura sacrata tui ?
 37 O numquam nostris felix Saturnia tellus,
 38 saecli pernicies, Teutoniaeque lues.
 39 Ergo te propter natalia linquimus arva,
 40 tu longae nobis anxia causa viae ?
 41 Quis furor est, certo non limite malle teneri
 42 telluris, vitam quae sibi prima dedit :
 43 quam nive inaccessas pedibus transcendere rupes,
 44 atque aestu solvi, frigoribusque premi ?
 45 Quam satius fuerat patriae sub tegmine villae
 46 ducere securos spe comitante dies.
 47 Aut umbras inter nemorum reptare salubres,
 48 intentum studiis Pieridumque morae ?
 49 Quam per tot casus, per tot discrimina rerum,
 50 divisum patrio te procul orbe sequi.
 51 Tu maris emensum longos terraeque labores,
 52 immiti Cordum tollis acerba nece.
 53 Quo non Paeonias alter perfectius herbas,
 54 ac totum medicae noverat artis opus.
 55 Nam dum te sequitur, juvenilibus excidit annis,
 56 et nova terrigenis vermibus esca jacet.
 57 Nec tumulo potuit supremum mater honorem,
 58 debita nec cineri solvere justa pio.
 59 Mitto alios, quos tu nostrae commune sepulcrum
 60 gentis inexpleto condis avara solo.
 61 Tu quoque (noxa recens) Musarum castra secutum,
 62 omnis et immunem criminis atque doli,
 63 antiqua Camariadum de stirpe Philippum,
 64 quo mihi sublato vivere poena foret,
 65 heu quantis mersas, insontem criminis, undis,
 66 heu quantis cumulas insidiosa malis ?
 67 Namque, viam relegens Campanis nuper ab oris,
 68 dum petit hospitii munera Roma tui :
 69 quam diversa suis tulit istic munera votis,
 70 Oenotri captus proditione viri ?
 71 Aonidum sacer ille comes, legumque sacerdos,
 72 scilicet hoc illi culpa luenda dedit.
 73 Infelix juvenis, crimenque perenne Quiritum,
 74 nunc etiam audaci qui timor esse potes :
 75 quid conscire nihil casto tibi pectore gaudes,
 76 quid causae fidis fortiter ipse tuae ?
 77 Vana tuae vitae est, vana est fiducia causae :

78 crede mihi, tellus non habet ista Deum.
79 Exulat Ausonia probitas extorris ab urbe,
80 et pudor et recti non simulatus amor.
81 Jura docet Latium, sed juris nulla facessit
82 dogmata, quid leges moribus absque juvant ?
83 Dic tamen o tantis fortunae erepte procellis,
84 quo mihi nunc vivo est vivere dulce magis :
85 si tibi cura sumus nos mutua, nec tibi nostri
86 mutato patriae Sole recessit amor,
87 quid tibi tunc animi, trepido quis pectore sensus,
88 quis color in tantis fluctibus oris erat ?
89 Cum te securumque mali, nec tale timentem,
90 atque regressurum luce sequente vias :
91 Urbicus aggreditur turba stipante satelles,
92 ac tumido tales increpat ore minas.
93 Huc tibi me Praetor legavit idoneus auctor,
94 et jubet imperii jussa sequare sui,
95 tuque comesque tuus : (communis namque pericli,
96 tum socium dederat sors inimica tibi,
97 spectata juvenem virtute, fideque probatum
98 Ritterum, quem nunc Norica jactat humus.)
99 Quid tibi mentis erat, tristi cum carcere clausus,
100 haerebas culpae nescius ipse tuae ?
101 Mentior, anne subit potior tibi cura parentum ?
102 Quos metuis fati exanimare tuis.
103 Et minus Ausonias jam divulgata per oras,
104 esse tui velles nomina clara patris.
105 Si bene te novi, tibi carcere tristior ipso est
106 materni luctus pectoris, atque dolor.
107 Quid vero tibi mentis inest, nunc fare roganti,
108 Cardineos quando sisteris ante patres ?
109 Doctrinae censura quibus commissa profanae est,
110 bis toto lectos quattuor orbe viros.
111 Cum te, cui falsum dederat Clementia nomen,
112 et Pietas, verbis insidiosus adit.
113 Quaesitumque diu de relligione, fideque,
114 haeretici asseclam dogmatis esse refert.
115 Et tua nunc blandis pertentat pectora dictis,
116 nunc vim pollicitis adjicit, atque minas.
117 O cordis quoties tollens haec inter ocellos,
118 sollicitas arta caelica templa prece !
119 O quoties tanto jactatus turbine rerum,
120 flaminis imploras cuncta regentis opem !
121 Quo sacer illius te fulciat halitus aerae,
122 in vera ut perstes agnitione Dei.
123 Nec formido tuam labefactet languida mentem,
124 neu capiat blandis subdola lingua sonis.
125 Vota precesque Deum tangunt. En ille piorum
126 pro te vota, tuas audiit ille preces.
127 Ac tibi blasphemae contra mendacia linguae,
128 et quae mellito pectora felle madent,
129 adstitit et mediis revocatum faucibus Orci,
130 praevalida retrahens extulit ipse manu.
131 Nec tibi terrifico Canis ille triformis hiatu,
132 impresso potuit figere dente notas.
133 Nec tibi Clementis mentem inclementia fregit,
134 nec quinti pietas heu truculenta Pii.
135 Non petasatorum subsellia taetrica Patrum,

136 qui Petrum vultu, Daemona corde gerunt.
 137 Non vis aestivo contracti tempore morbi,
 138 dum flagrans siccos aestus hiulcat agros.
 139 Victor abis ; seque ipse tui Papa carceris ullum
 140 (credere si fas est) crimen habere negat.
 141 Nec minus atrocis Clementem paenitet ausi,
 142 in te cui structi non valere doli.
 143 Consors turba Patres, praetexunt nomine culpam,
 144 arbitrioque negant ista peracta suo.
 145 Paeniteat Clementem ausi, Patresque scelestos :
 146 hic solet injustis exitus esse dolis.
 147 At plus ista tibi jam nunc vexatio laudis
 148 confert, quam damni fraus inimica dedit.
 149 Carceris infamat nec enim custodia quemquam,
 150 carceris infamem reddere culpa solet.
 151 Quae te nulla premit, nisi quis pro crimine vertat,
 152 non facti noxa criminis esse reum.
 153 Innocuae testis vitae est tibi, turba sodalis,
 154 quae septemgemina traxit in urbe moram.
 155 Et fatum miserata tuum, insanabile linguae
 156 alterius doluit virus obesse tibi.
 157 Nec plus in causam morum valuisse tuorum
 158 candorem, et meritum pectoris omne tui :
 159 quam non affinis nocuit contagio culpae,
 160 quae versu non est norificanda meo.
 161 Quod vetet officiis reverentia debita multis,
 162 nec tua me probitas, si ferat ista, sinat.
 163 Et facilis cunctis animus, veniaequae paratus,
 164 haud patris ingenio degener ille tui.
 165 Quid moror ? Illa tibi famam fortuna perennem,
 166 victurumque dedit post tua fata decus.
 167 Ac praeter meritos antiquae gentis honores,
 168 quam tuus ingenio vexit ad astra parens,
 169 notus et Hesperiiis, et terris notus Eois,
 170 sublimen tituli contulit ipsa locum.
 171 Sic Ithaco aeternum tribuit patientia nomen,
 172 ille ortu quamvis inclitus esset avi.
 173 Anchisaque sato, patriae pietatis honore,
 174 altera nobilitas accumulata fuit.
 175 Et tua difficili virtus excercita casu,
 176 ac spectata, tenax hoste probante fides,
 177 addidit insignem merita tibi laude nitorem,
 178 majorum geminans per tua facta decus.
 179 Quem nec livor edax famae, laudisque bonorum,
 180 vulnifico poterit carpere dente malus.
 181 Non hominum innocuis infesta Calumnia factis,
 182 Tartarei cerebro progenerata Jovis.
 183 Quae fidens animi, patriae non degener artis,
 184 mille solet fraudes nectere, mille modis.
 185 Mendacesque virum diffundit in ora susurros,
 186 criminibus gaudens insimulare probos.
 187 Virtutem vitiiis invertens, rectaque pravis,
 188 aspergens maculis candida quaeque suis.
 189 In laudes muta, ad convicia prodiga linguae,
 190 aure bibens avida pessima, surda bonis.
 191 Nulli inimica palam, nec aperto cominus ullum
 192 Marte petens, blandis insidiosa modis.
 193 Haec si forte tuas in probrum vertere laudes

194 audebit meritis non satis aequa tuis :
 195 non tamen (hoc ausu quamvis conetur iniquo)
 196 fulgorem famae polluet illa tuae.
 197 Dum clypei te mole teget mens conscia recti,
 198 cumque sorore sua non temerata fides.
 199 Ne te proluvies Stygiae conspurcet alumnae,
 200 gestiat aut famae labe superba tuae.
 201 Quin age securus vanae sine viribus irae
 202 livorisque mali Ditigenaeque luis,
 203 solve Deo meritas solemni munere grates,
 204 debitor et voti, debita vota refer.
 205 Non mollis costis, nec blandi thuris honores,
 206 quaeque aris libat dives odoris Arabs :
 207 sed meritis grati tantis libamina cordis,
 208 oris et hymnisoni carmina grata Deo.
 209 Ipse ego votiva decorabo templa corona,
 210 quam super hos versus scripta tabella geret.
 211 Praesulis erepto manibus, Patrumque Philippo :
 212 damnatus votis haec tibi, Christe, tulit.

ELEGIA II.

AD MICHAELEM BARTH POPULAREM SUUM.

E1_2 v.1 Si vacat et nostris non obdit versibus aures,
 2 grande Decanatus, quod tibi fertur onus :
 3 accipe non vanam portantia verba salutem,
 4 ardua Pierii gloria, Barthe, chori.
 5 Nec quia siccasti largo Permessida potu,
 6 ingenique sonant flumina lata tui :
 7 (dum sacros sacro sermones fundis ab ore,
 8 vel patriae, triplici carmine, facta refers.
 9 Dum vel in Andini surgis praeconia vatis,
 10 vel meritos caeli tollis ad astra viros :
 11 nataque dum per te Lycomedis scribit Achilli,
 12 et quae cuncta foret commemorare labor)
 13 argue Lenaeo me frustra vina parenti,
 14 aut Corcyraeo mittere poma seni.
 15 Sic etiam (si nostra decet componere priscis,
 16 si licet et tuto nomina tanta sequi)
 17 Veronae doctus non detrectavit alumnus,
 18 Virgilium salibus detinuisse suis.
 19 Sic olim culto Nasonis charta Severo,
 20 attulit imparibus condita verba modis.
 21 Quamvis ille gravem cantu praestaret Homerum,
 22 huic foret Aoniis fertile pectus aquis.
 23 Finge sed esse nefas, carmen misisse Poetae :
 24 hoc modo cui mittam rectius, ecquis erit ?
 25 Usque adeo cunctis Musarum munera sordent,
 26 ac, praeter vates, carmina nullus amat.
 27 Quae damus ergo tibi crescentis pignora Musae,
 28 his facilem laeta porrige fronte manum.
 29 Non haec ambitio, perfusaque gloria fuco,
 30 nec me sacra fames scribere jussit opum.
 31 Sed potius cernens venturi iudicis iram,
 32 cujus signorum, dant documenta, minae :
 33 obvius his volui summo prodire tonanti,

34 delictis frenos his inhibere suos.
 35 Sit tamen et nostrae fuerit quae causa Thaliae,
 36 haec tibi cur ferret, certior esse cupis :
 37 forte tibi meritas meditabar pectore grates,
 38 sed neque in has curas ipse sat unus eram :
 39 donec Musa mei, praesens medicina, doloris,
 40 his mulcens (infit) cor mihi triste sonis.
 41 Pelle metus, dubios animo depone timores,
 42 ipsa tuum pro te munus obire volo.
 43 Officiis alii pretium gemmasque rependant,
 44 gemmarum et pretii carmina pondus habent.
 45 Quas igitur nostro reddit tibi nomine grates,
 46 accipe, judiciis Vir venerande meis.
 47 Poscit idem, medicas tibi qui non invidet artes,
 48 ac pariter sacri praeses Apollo chori.
 49 Ille quidem semper te gaudia carpat alumno,
 50 consortem patriae gratulor ipse mihi.
 51 Sed licet haec misisse pudet, quia parva videntur
 52 dona, tamen parvis gratia rebus inest.
 53 Sic Deus agnorum cum gaudet sanguine centum,
 54 non spernit tenues cum pietate focos.

ELEGIA III.

DE COMETA, QUI ANNO MDLVIII IN PLAGA OCCIDENTIS, SUPRA LEONIS,
 INFRA HELICES SIGNUM, AD COMAM BERONICES, VESPERI APPARUIT.

E1_3 v.1 Ecquid in humanam conspirant sidera cladem,
 2 sidera venturi nuntia signa mali ?
 3 Mutua non certe coeunt in foedera frustra,
 4 nec novus hic casu conciliatur amor.
 5 Fallor ? An interitu ut quondam Phoenicidos urbis,
 6 quae vetus, Herculeo vulnere, nomen habet,
 7 divinae natura potens inserviit irae,
 8 flagitiis poenas constituite Deo :
 9 cum patefacta bibit caesorum terra cruorum,
 10 vertit et in cineres fervida flamma domos,
 11 quando coloratum removentia nubila caelum,
 12 optatum miseris eripere diem,
 13 et simul assurgens immani murmure Pontus,
 14 quaesitam clausit per freta saeva fugam :
 15 sic nunc caelivagae jungunt socia agmina turmae,
 16 ut junctis in nos viribus, arma ferant ?
 17 Vix sibi falciferum Mavors sociavit amore,
 18 expleret rabidam quo magis ille sitim.
 19 Vix lumen Titan, vix lucem Luna recepit,
 20 dum soror hunc, illam densior umbra tegit.
 21 Ecce novas iterum fraudes, nova foedera nectit,
 22 Gradivus dirum pectore virus alens.
 23 Torvaeque dum lustrat Nemeaei signa leonis,
 24 non procul a curru, Phoebe corusce, tuo :
 25 blanditiis ad se Tegees invitat alumnum,
 26 quem peperit summo lucida Maia Jovi.
 27 Quid nunc amborum concordia linquet inausum,
 28 vi quando Mavors pollet, at iste dolo ?
 29 Scilicet invenient perdendi mille figuras,
 30 astrorum tantum vis geminata nocet.

31 Nec verbis opus est : en quantum possit uterque
 32 aerea rutilans fax regione docet.
 33 Quid vult supremas vapor hic extractus in auras,
 34 quid nova barbati sideris effigies ?
 35 Hic ubi declivi Phoebus se mergit olympto,
 36 ac juga defessis gemmea demit equis.
 37 Et sub Parrhasiae qua sidere cernitur ursae,
 38 e Beroniceo vertice rapta coma.
 39 Anne novas iterum strages, nova proelia cerno,
 40 nec nostri fusum sanguinis ante satis ?
 41 Fallor ? An Ausoniis tantum, Gallisque superbis,
 42 incutit adverso fax ea crine minas ?
 43 Nostraque securam ducens Germania vitam,
 44 tota secutura libera cladis erit ?
 45 Hoc Deus o jubeas vanescat ut omen in auras,
 46 quod praesaga mali pectora nostra timent.
 47 Et merito. Nam ceu paries ubi proximus ardet,
 48 contactu flammam concipit inde tuus :
 49 sic Antenoreis, contermina Teutonis, oris,
 50 vicinam metuo ne trahat inde lueam.
 51 Quis spectavit enim terris impune Cometen,
 52 augurium luctus, artificemque metus ?
 53 Si licet in dubiis, exemplis testibus uti,
 54 quid dictis testes addere pauca vetat ?
 55 Jam bis complerat Saturnus cursibus orbem,
 56 altera jamque illis addita messis erat :
 57 ex quo descendens mundo Servator ab alto,
 58 purus erat pura virgine natus homo.
 59 Cum dirus fulget ferali crine Cometes,
 60 bis tria dum Titan signa recenset equis.
 61 Quid non portendit, sidus fatale, malorum,
 62 quid non horrendis, cauda nefanda, pilis ?
 63 Imperii mundique Nero communis Erinnyes,
 64 quas meruit poenas crimine, morte luit.
 65 Noxia Romanos agitat discordia cives,
 66 jura jacent, sceptrum quidlibet ense rapit.
 67 Quis tum disjectam Solymorum funditus urbem,
 68 quis dicat siccis moenia versa genis ?
 69 Sanguis abit, quoties subit ejus lucis imago,
 70 qua res Isacidum procubuere solo.
 71 Horresco referens ingentes stragis acervos,
 72 quos dedit Aeneadam dextera Marte potens.
 73 Horresco referens spumantes sanguine fossas,
 74 ac projecta solo tabida membra fame.
 75 Et quis adhuc portentosa leues dispergit in auras,
 76 stellarumque negat pondus inesse minis ?
 77 Quos ego vel Libycae nutritos lacte leaenae,
 78 vel silices circa pectus habere rear.
 79 Non sic experti, praestantes Teutones armis,
 80 Non sic Martigenae, fortia corda, viri :
 81 quando Pannonias adducens Attila vires,
 82 non leve Germanis Romulidisque malum,
 83 undique subversas nudavit civibus urbes,
 84 ac vastos late caede replevit agros.
 85 Tunc lugubre rubens terrestris in aere moles,
 86 visus et ardenti totus in igne polus :
 87 quam non fallacis fati documenta dederunt,
 88 quam bene venturum praemonuere nefas.

89 Neve morer priscis, exempla recentia nobis,
 90 cum dare vel praesens tempus, et hora queat.
 91 Quos praedicat iis luctus, pariterque dolores,
 92 flamma quibus diris innuit ista comis :
 93 Varnensi monstras rex Vladislæe ruina,
 94 triste luens rupti foederis exitium.
 95 Hei mihi tum quantis infelix excidit ausis,
 96 objicit heu quantae seque suosque neci !
 97 Quae tamen ut fugeret, (si mens non laeva fuisset)
 98 prodigiis poterat cautior esse poli,
 99 viscosam cernens flagrare sub aethere massam,
 100 dum calor Icarium finderet arva canis.
 101 Sed placide nescit sortem mens ferre secundam,
 102 ut neque constanti robore, dura pati.
 103 At cur in veterum feror acer crimina iudex,
 104 non minus haec atrox tempora culpa premit.
 105 Nondum ter gelido concrevit frigore Pontus,
 106 terque suis Caprum Phoebus adivit equis :
 107 Arctos cum terra jacens Aquilonis ad ortus,
 108 conspexit similem crine rubere facem.
 109 Quae primum roseo procedens Solis ab ortu,
 110 qua micat Erigones spica retenta manu :
 111 astrorum comitata suo vestigia cursu,
 112 Hesperiiis pariter se quoque tinxit aquis.
 113 Inde Lycaoniam postquam deflexit ad Ursam,
 114 sicca diu, nostris est minitata plagis,
 115 sentit adhuc Vesper, bellax Germania sentit,
 116 quid ferat ingentis conscia cauda mali.
 117 Quis tamen emendat vitae delicta prioris,
 118 quis vitiorum aliquem novit habere modum ?
 119 Ipse licet verbo moneat Deus, ipse minetur,
 120 nil tamen aut monitis, aut movet ille minis.
 121 Securam adeo cepit dementia mentes,
 122 quae ruit in quodvis, lumine capta, scelus.
 123 Quod si quid monitus, si quid moderamina possunt,
 124 si quid commoti nuntia signa Dei :
 125 jam tandem vitiis, Germania, supprime frenos,
 126 sit satis admissi criminis esse ream.
 127 Jam furor in cursu est, jam sacro cede furori,
 128 jam lacrimis illum, jam revocato prece.
 129 Cedat in exemplum Solymae tibi triste sepulcrum,
 130 illius luctu, disce carere tuo.
 131 Desine sacrati contemnere munera verbi,
 132 quosque jubet verbi dogmata ferre Deus.
 133 Sic tibi quas tellus poenas, quas astra minantur,
 134 effugies, juncta cum pietate, prece.

ELEGIA IV.

AD VINCENTIUM MADIUM SUMMUM ITALIAE PHILOSOPHUM.

E1_4 v.1 Docte vir, Ausonias multum celebrate per oras,
 2 ingenio praestans eloquioque potens.
 3 Quae legis, unde ferant, miraris forte salutem,
 4 carmina barbarica non bene juncta manu.
 5 Haec tibi qui mittit, quamvis inculta, nec aures
 6 digna, nec arbitrii jura subire tui.

7 (Da veniam fasso, nec respue verba precantis,)

8 notitiae laudem gestit habere tuae.

9 Divisus vestro penitus Bersmanus ab orbe,

10 qua surgit gravidis aere Misena jugis.

11 Non huc me regione viae, nec sidere falsum

12 terra, vel adversis fluctibus unda tulit.

13 Nec caris patriae depulsum finibus urbis,

14 vertere natalem culpa coegit humum.

15 Non jussere meis contraria numina votis :

16 haec animo intrata est terra volente mihi.

17 Haec quaesita meis fuit, haec inventa Camenis :

18 dii faciant fausto sit mihi tacta pede.

19 Namque tuae dum clara sequor praeconia laudis,

20 Eugeneae liqui culta Lycaea scholae.

21 Isthic fama meas haud mendax venit ad aures,

22 quanta sit eloquii gratia, visque tui.

23 Crede mihi, de te rumor praeconia fecit

24 magna, sed ingenio non tamen aequa tuo.

25 Plus hic invenio, quam quod mihi rettulit istic,

26 tantas divino pectore promis opes.

27 Sed quid onus tenui dispar committo Thaliae ?

28 Non facit ad vires sarcina magna meas.

29 Quod si pauca tui dederis mihi signa favoris,

30 addideris nervos forsitan ipse mihi.

31 Da mihi te placidum, qualem te saepe dedisti

32 hospitibus : non est res onerosa favor.

ELEGIA V.

VALEDICTORIA AD AMICOS, CUM LIPSIA DISCEDERET IN GALLIAS.

E1_5 v.1 Cum subit illius facies mihi maesta diei,

2 digressus vestra quo procul urbe fui.

3 Dimidiumque mei repeto cum mente sodales,

4 tunc etiam in lacrimas me jubet ire dolor.

5 Ecquis enim siccis meminisse haec possit ocellis,

6 ac desideriiis firmior esse suis ?

7 Non ego fortis in hoc, non haec constantia nostro

8 ingenio (quid enim vera negemus ?) Adest.

9 Jam prope tempus erat, quo me fortuna jubebat

10 dulcia Elistraei linquere rura soli.

11 Celtarumque procul qua Sequana terminat oras,

12 hospitium Muis quaerere dulce meis.

13 Ingressurus iter gladio latus ense recingo,

14 et festinatas dum licet apto vias.

15 Vera loquor : nec mens aderat, studiumque parandi,

16 nec satis ad coeptum pes mihi promptus iter.

17 Non mihi tunc libros, non vestes cura legendi,

18 auxiliumque meae praesidiumque viae.

19 Facta paro, facienda sino : mox limine tacto

20 egressos redeo nescius ipse lares.

21 Nunc haec suspicio, nunc haec suscepta relinquo,

22 missaque nunc repeto, nunc repetita sino.

23 Tunc mihi forte aliquis longo conjunctus ab usu,

24 "Hoc eia, inquit, agas, nec tamen illud ago."

25 Ac velut in somnis, cum primum lumina pressit

26 alta quies, et jam membra sopore jacent :

27 saepe avidos cursus extendere, saepe paramus
 28 fortia diductis edere verba labris,
 29 sed neque lingua valet cupidas expromere voces,
 30 et genua in mediis cursibus aegra labant :
 31 sic iter accelerans studio festinus inertii,
 32 accelerando meas ipse retardo vias.
 33 Cogimur ire tamen, comitumque accincta caterva
 34 ulterius spatium non sinit esse morae.
 35 Ergo parans abitum, supremum maestus amicos
 36 alloquor, et tenui vix ea reddo sono.
 37 "O mihi fraterno dilecti more sodales,
 38 queis sine dulce mihi nil fuit, est et erit :
 39 este salutati, memores et vivite nostri,
 40 vos ego, quod superest temporis, usque colam.
 41 His dictis (nec enim dolor illis plura ferebat)
 42 tardanti subdo calcar iturus equo.
 43 Dividimur, vox una vale vale inquit amice,
 44 atque bonis avibus mox rediturus, abi.
 45 Quis mihi tunc a me digressis sensus amicos !
 46 Quosve dabam gemitus pectore, quotque meo ?
 47 Ah quoties udis abeuntes maestus amicos
 48 respiciens oculis, note per arva sequor.
 49 Ah quoties aliquis comitum, dum lumina flecto,
 50 istic an quod te retrahat, inquit, habes ?
 51 Provehimur, multa cum nubilus arbore lucus,
 52 eripit ex oculis pectora cara meis.
 53 Quae licet haud poteram, poteram tamen alta videre.
 54 Moenia, quae placida lambit Elister aqua,
 55 et loca dum licuit nostris habitata Camenis,
 56 o mihi post patrios cura secunda lares.
 57 Quae tum suprema compellans voce saluto,
 58 silvicolasque Deas, Naiadumque choros.
 59 O mea cura Deae, mea spes, mea gaudia Nymphae,
 60 saepe quibus violas, lilia saepe tuli.
 61 Et liquidi fontes et silvae et frigida Tempe,
 62 saepe mihi medio dulce cubile die.
 63 Tuque o communis studiorum Lipsia mater,
 64 semper amata mihi, semper amanda vale.
 65 Si reducem vestris sistent me numina terris,
 66 et mihi luce dies fulserit ista bona.
 67 His vobis gratus suspendam munera ripis,
 68 atque hoc in tiliae cortice carmen erit :
 69 "Haec patriae caris Bersmanus redditus oris.
 70 Vos dare nunc precibus muneribusque locum."

ELEGIA VI.

AD MATTHAEUM RHESCHUCHIUM,

El_6 v.1 Dum, Matthaeae, tuo careo suavissime vultu,
 2 terna suis Titan signa peregit equis.
 3 At mihi ni patria videor procul esse, per annum,
 4 aura ferat reditus irrita vota mei.
 5 Fallor ? An assuetos inhihent vaga sidera cursus,
 6 et peragit solito tardius annus iter ?
 7 Fallor : namque ratos observant sidera motus,
 8 passibus et certis digerit annus iter.

9 Sed pavor, et series non intermissa malorum,
 10 ille mihi noctes porrigit, ista dies.
 11 Si tamen interea quid agam carissime quaeris,
 12 Pieridumque choris ecquid ut ante vacem.
 13 Scilicet hos inter strepitus bellique tumultus,
 14 otia Thespiadum liberiora sequar.
 15 Dum pax omnis abest, et cedere nescius hostis
 16 me vetat oblitum pectus habere metus.
 17 Apta magis Marti quam sunt haec tempora Musis,
 18 plectra tacent, raucum classica pulsa fremunt.
 19 Obstrepit Aonidum citharae nervisque canoris,
 20 horribilem fundens buccina torva sonum.
 21 Arma manu cives poscunt, fremit arma juvenus,
 22 et cursu in muros praecipitante ruit.
 23 Jamque faces et tela volant : quatit impete crebro
 24 moenia sulphureo concitus igne globus.
 25 Flent pueri, tremulique senes, trepidaeque puellae,
 26 et matrum lacrumas angulus omnis habet.
 27 Lamentis planctuque fragor se tollit ad auras,
 28 hibernis qualem fluctibus unda refert.
 29 I nunc, et tantis quassum, Matthaee, procellis,
 30 Pieridum sacris invigilare jube.
 31 Dum Mavors furit et tenui discrimine porta
 32 horrida ferratis summovet arma seris.
 33 Da mihi Maeoniden et tot simul adice casus,
 34 Maeonides isto tempore mutus erit.
 35 Et frustra facilem tentabit condere versum,
 36 ingenio vires eripiente metu.
 37 Sed nec, amice, jubes : nec pugnas inter et enses,
 38 ad solitos numeros Musa vocata venit.
 39 Aoniae pacem venerantur, amantque puellae,
 40 carmina tranquillae pacis habentur opus.
 41 Pax hederas laurosque fovet, pax candida venam
 42 ingeniumque sacri fertile Vatis alit.
 43 Pace lyrae cantusque sonant, ducuntque per herbas
 44 alternos Charites et Cytherea choros.
 45 At juvenum innocuo fervent tum proelia bello,
 46 perque vias urbis proelia, perque domos.
 47 Saucia tum queritur potorum janua rixis,
 48 nocturnisque gemit trita fenestra dolis.
 49 Humida tum certant pugnantibus oscula linguis,
 50 ludit et alternis gratia lisque jocis.
 51 Pax ades, et nitido tandem post nubila vultu,
 52 moenia, templa, domos, oppida, rura vide.
 53 Tunc ego laeta novo deducam carmina versu,
 54 virtutisque tuae praeco poeta ferar.
 55 Tunc me non humilem laudabit Misnia vatem,
 56 nec multos nobis forsitan ante feret.
 57 Interea dum me tenet ardens Gallia bellis,
 58 dimidium nostri, dulcis amice, Vale.

ELEGIA VII.
 AD MICHAELEM BARTH.

E1_7 v.1 Tu mihi tu certe (nunc sero, Barthe, recordor)
 2 dicebas iter hoc dulcis amice cave.
 3 Atque graves belli motus instare canebas,

4 et mala multa, meis cognita vera malis.
 5 Tum mihi, parce tuae, memorabas, parce saluti,
 6 neu vitae tantum prodigus esse velis.
 7 Invalidus nondum discessit corpore languor,
 8 nec membris rediit, qui fugit ante vigor.
 9 Et veteris superant jam nunc vestigia morbi,
 10 in vultu remanens pallor, in ore sitis.
 11 Adde quod aestivum terris superingerit axem
 12 Cynthus, et prono sidere hiulcat agros.
 13 Non caelum patiere satis, non aeris aestum :
 14 ad stomachum faciet nec cibus iste tuum.
 15 Da modicum Solis spatium, morbique furori,
 16 grande morae pretium, vita superstes, erit.
 17 Haec mihi dicebas ; at non ego credere doctus,
 18 praeclusa aure, Notis verba ferenda dabam.
 19 Acrior et contra moderamina vestra reluctans,
 20 urgebam coeptas in mea damna vias.
 21 Me rapit his ergo merito fortuna procellis,
 22 admonitumque malis cogit habere fidem.
 23 Nam quid ego memori decurram singula versu,
 24 seu perpessa mihi, seu metuenda super.
 25 Sum miser et cari jactura temporis, exsul,
 26 hoste metum nobis incutiente, vagor.
 27 Haec brevis esto tibi multorum summa laborum,
 28 tu dictis, animo concipe, plura meis.
 29 Quae tibi nunc refero, similem moniturus amicum,
 30 casibus ut discat cautior esse meis :
 31 consiliisque suas praebere fidelibus aures,
 32 Quis furor est, monitis credere nolle piis ?

ELEGIA VIII.

AD EUSTACIUM A MINGUITZ IN LUDO ILLUSTRIS MISENAE LITERIS OPERAM DANTEM.

E1_8 v.1 Accipe Lipsiaca missum tibi carmen ab urbe,
 2 Eustachi o animae flammula grata meae.
 3 Si tibi cum vita concedunt fata salutem,
 4 parte meae sortis candidiore fruor.
 5 Est locus a Philyra non dissitus amplius urbe,
 6 quam solet ire quater concitus igne globus.
 7 Non illi vestrum similis mihi visus ad Albim,
 8 dum studiis tecum tempora prima dedi.
 9 Namque hunc parte sacer praecingit Elister ab una,
 10 irrigat ex alis flumine Plisna suo.
 11 In medio campus variorum flore colorum,
 12 arbor et umbroso quae facit orbe nemus.
 13 Hic ego dum patulae recubans sub tegmine frondis,
 14 disparibus necto condita verba modis :
 15 ecce vias ingressa volucris ardua pennis,
 16 fama mihi de te nuntia laeta refert.
 17 Cui tot erant aures, tot linguis ora sonabant :
 18 in vasto plumae corpore vel quot erant.
 19 Sed licet huic linguis diversis ora sonarent,
 20 Vox tamen in linguis pluribus una fuit.
 21 Ille tibi longo junctus Minguitzius usu,
 22 in studiis haeret Pieridumque mora.
 23 Nunc manibus versans Peligni carmina vatis,

24 Nunc ejus claudens verba ligata modis.
 25 Talibus adverto pronas sermonibus aures,
 26 pluraque nos de te quaerere cogit amor.
 27 Singula quid referam, nil non laudabile de te,
 28 nil te non dignum nuntiat illa mihi.
 29 O niveum dixi mihi gaudia tanta ferentem,
 30 signandumque nota candidiore diem !
 31 Macte nova virtute puer, quo gloria ducit
 32 quo te Musarum nobilis ardor agit :
 33 perge, precor, celeri metam contingere cursu,
 34 perge nec inceptum desere segnis iter.
 35 Sic tibi Phoebæa cingentur tempora lauro,
 36 alter et in titulos sic tibi crescet honor.
 37 Sed cave vecordis revocent te opprobria vulgi,
 38 quod Phoebum, steriles quod jubet ire Deas.
 39 Divitias Claria quia nullas arte paravit,
 40 Maeonides sacri gloria prima chori.
 41 At bona post obitum quanto meliora reliquit,
 42 victurum famæ tempus in omne decus.
 43 Quod tibi nec Lydi largiri flumina regis,
 44 Nec rubri poterit dives arena maris.
 45 Tu quoque, si quid agam quaeris (nam quaerere certum est),
 46 hæc habeas : Phoebi, quæ prius, arma sequor.
 47 Cum quibus et varias rerum cognoscere causas
 48 nitor, et in superas scandere mente domos.
 49 Nec me conantem tantum labor obruit ingens,
 50 quantum paupertas invida mole premit.
 51 Quæ caput ardentem doctas effere per artes,
 52 non sinit ex humili scandere summa loco.
 53 At tu, nascentem primis quem Musa diebus
 54 aspexit placidi luminis orbe magis,
 55 en age difficili fractus ne cede labori,
 56 Non sors ulla tuum rumpit euntis iter.
 57 Quæ praeceptorum cum discas pluribus ore,
 58 hæc me sit paucis admonuisse satis.
 59 Redde vicem, totas utque es mihi flamma medullas,
 60 sic meus usque tuo pectore flagret amor.

ELEGIA IX.

AD JACOBUM STRASBURGUM.

E1_9 v.1 O mihi præcipuos inter numerande sodales,
 2 o mihi Phocæa juncte Jacobe fide.
 3 Si mea nunc tacita cohiberem gaudia mente,
 4 quæ mihi fert, alter jam tibi partus honos :
 5 immemor aut veteris merito convincar amici,
 6 aut reus invidiæ crimine turpis agar.
 7 Namque fides veluti rebus spectatur in artis,
 8 sic est in lætis perspicendus amor.
 9 Ipse rei Magnus causam defendit Iuli,
 10 quem sibi ferre parem consul honore nequit.
 11 Quam multos habui socios comitesque malorum,
 12 postmodo successu qui doluere meo.
 13 Sed prius infelix caput a cervice recedat,
 14 perforet aut miserum Partha sagitta latus :
 15 quam ferar alterius marcescere rebus opimis,

16 dicar et in dubiis deseruisse fidem.
 17 Me licet ergo gravi confectum cura dolore,
 18 vix sinat in maestos cogere verba pedes,
 19 Aonidumque vetet dulces expromere foetus,
 20 qui vacuum curae pondere pectus amant :
 21 non tamen (hoc ausu quamvis conetur iniquo)
 22 laetitiam penitus supprimet illa meam.
 23 Quis prohibet tristi risum componere vultu,
 24 veraque si nequeas gaudia ficta sequi ?
 25 Nunc age mille mihi plaususque jocosque ministra,
 26 Euphrosyne factis nomen adepta tuis.
 27 Altera namque refert Strasburgus ab hoste tropaea,
 28 altera, jam circum tempora,serta gerit.
 29 Astra suo nondum cursu bis sena peregit,
 30 Eoo nobis qui vehit orbe diem,
 31 cum laudata sequens doctarum signa sororum,
 32 in castris potuit aera merere sacris.
 33 Daphneae primum cum cepit frondis honorem,
 34 ac tiro Clario jam duce dignus erat.
 35 Scilicet et placidis sua sunt certamina Musis,
 36 sunt hostes, in quos arma movere decet.
 37 Lernaei jactet caedem Tirynthius anguis,
 38 ac triplici victum corpore Geryonem,
 39 extollat Nemeae stratum sub rupe leonem,
 40 aut, Erymanthe, tuum vociferetur aprum :
 41 non illis Hydrae desunt per vulnera foetae,
 42 Maenaliive sues, nubigenaeque truces.
 43 Non labor Augiae stabuli, non ipse Typhoeus,
 44 non etiam solo monstra timenda sono.
 45 Singula neu referam, quae si perscribere coner,
 46 vix caputurus erat nomina nuda liber :
 47 sit satis e multis dictum mihi milibus unum,
 48 agminis immensi quod tamen instar erit.
 49 Est quoddam, qui cum longos diuturna per annos
 50 bella gerunt, nullo sanguine bella gerunt.
 51 Non hoc fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
 52 per sua sic adeo crescere damna solet.
 53 Barbaries monstro nomen, sed saevius Hydra,
 54 saevius angue, notam Pythius unde tulit.
 55 Forma duplex : tortum nam posteriora Draconem,
 56 setosum referunt anteriora suem.
 57 Illud Getulis Persuasio mater in oris
 58 edidit, ast Error femina dira dedit.
 59 Illic inter agros desertaque lustra ferarum,
 60 imbuit immanis guttura lacte leae.
 61 Donec laesa sui contemptu numinis, ipsas
 62 hoc urbes Pallas jussit adire malum.
 63 Tunc grave servitium Musis cecinere sorores,
 64 quae nent lanifica stamina nigra manu.
 65 Nempe quod assiduis vitam coguntur in armis
 66 degere, continuas hoste parante minas.
 67 Non hic heroum vires, non clava trinodis,
 68 non lita vipereo spicula felle juvant.
 69 Mille gravem cernas telis, totidemque sagittis,
 70 cum nulla laesum cuspide pectus habet.
 71 Quid faciant ? Ausus rubor est tolerare superbos,
 72 nec metuenda illos ferre pericla sinunt.
 73 Ergo animi totas opus est depromere vires,

74 vertat ut in celerem tergora vasta fugam.
 75 Cynthus has primus fraudes vidisse putatur,
 76 cuncta suo primus lumine namque videt.
 77 Nec mora proposuit ferventi praemia pugnae,
 78 praemia degeneri non capienda manu.
 79 Victori Tyrrio distinctam murice mitram,
 80 ac gemmam, digitis quam gerat ipse suis.
 81 Unde cohors juvenum stimulata cupidine laudis,
 82 in fera non segni proelia mente ruit.
 83 Omnibus ardor inest horrendum pellere monstrum,
 84 hos pudor, ast illos munera magna movent.
 85 Artibus ingenium, pectus virtutibus ornant,
 86 nempe hac barbaries victa fatiscit ope.
 87 Hic meus insignem meruit Jacobus honorem,
 88 musica non umquam miles ad arma piger.
 89 Sedulus Aoniae dum tempora commodat arti,
 90 nec patitur vacuos praeteriisse dies.
 91 Rosida nunc lustrans nemerosae Phocidos arva,
 92 et quae Gorgoneus flumina fodit equus.
 93 Nunc Oratorum tractans non segnius arma,
 94 facundo cupidus cum Cicerone loqui.
 95 Nunc manibus veterum versans monumenta sophorum,
 96 rectius ut mores instruat inde suos.
 97 Nunc rerum varias exquirens ordine causas,
 98 nunc intrans celsi lucida templa poli.
 99 Salve Castalii juvenis cupidissime fontis,
 100 salve Pegaseo non abigende choro.
 101 Jam tua purpurea velantur tempora mitra,
 102 jam datur in digitos splendida gemma tuos.
 103 Hoc tibi propitius munus concedit Apollo,
 104 hoc tibi Pieridum donat amica manus.
 105 Sis felix, parto laetusque fruaris honore,
 106 ac laudem studeas ferre subinde novum.
 107 Jam tibi contingit, quod votis ante petebas,
 108 quam facilem precibus nactus es ipse Deum ?
 109 Quod si rite memor mecum tua dicta revolvo,
 110 scilicet illa tui summa laboris erat :
 111 ut Christi primum celebrares carmine laudes,
 112 prodesse studio pluribus inde tuo.
 113 Seu tibi sollicitas curae puerilis habenas,
 114 seu quaecumque scholae frena regenda daret.
 115 Nec minor Alcidae res est (mihi crede) labore,
 116 agminis imbellis sceptrum tenere manu.
 117 Arte gubernari vult per freta concita puppis,
 118 arte leves currus, indiget arte puer.
 119 Quas tibi, Fabrici, solvemus pectore grates ?
 120 O bonus amborum Tiphys et Automedon.
 121 Qui nostros studio mores componis, et arte,
 122 Dii faciant horum praemia ferre queas.
 123 Cujus opus, seris quicquid profecimus annis,
 124 cujus opus, gratis quod licet esse, reor,
 125 optime vir, placidam vitae tibi tangere metam
 126 det Deus, et curis munera digna tuis.
 127 At tu juncte mihi tali candore Jacobe,
 128 in fratrem quali Castora frater erat.
 129 Accipe non segnem testantia carmina mentem,
 130 qualiacumque tui plena favore vides.
 131 Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo,

132 ingenium faciens suggerit illa dolor.
 133 Dum tamen ista probas, nigros vel Zoilus unguis
 134 rodat, vel stricto me quoque dente premat.
 135 Non possum (fateor) cunctis placuisse, nec umquam
 136 cura mihi, cunctis velle placere, fuit.

ELEGIA X.

QUARE VENTI EX ASTRAEO ET AURORA NATI FINGANTUR.

E1_10 v.1 Est vetus Aeoliae vicinum rupibus antrum,
 2 munitum saxi praesidioque loci.
 3 Non illic candente dies apparuit ortu,
 4 seu Sol, sive artis Hesperus iret equis.
 5 Quas non intrat amor latebras ? Coiisse feruntur,
 6 huc tamen Astraeus, Memnonis atque parens.
 7 Et captasse gravi frigus narrantur in aestu,
 8 et junctum lateri conseruisse latus.
 9 Unde rapax Zephyrus, Zephyroque furentior Eurus,
 10 cum Borea natus creditur atque Notus.
 11 Qui quamvis una ducant ab origine stirpem,
 12 attamen inter se proelia saeva gerunt.
 13 Adde quod et tantas ipsos furor armat in iras,
 14 ut pugnis ausint sternere cuncta suis.
 15 Saepe tremens illis horret coeuntibus aer,
 16 terrificosque suo mittit ab axe sonos.
 17 Saepe coarctatis jaculatur nubibus ignes,
 18 nec raro densa grandine pulsat humum.
 19 Quid loquar ? Haec montes discordia volvit aquarum,
 20 ac freta terribili murmure rauca quatit.
 21 Haec motu finditque solum, lapidesque profundis
 22 vallibus et rupta robora vellit humo.
 23 Haec celsas verrit turres, haec fulmine tecta
 24 disjicit et rapto praemia poscit hero.
 25 Hanc olim metuens rabiem Saturnius heros,
 26 ne mare, ne terras vis animosa trahat :
 27 montibus impositis, speluncis abdidit illos,
 28 includens rapidas in fera vincla manus.
 29 Quin etiam dedit ipsorum de sanguine regem,
 30 qui premat imperio corda superba suo.
 31 Aeolon Hippotaden, qui solvere jussus habenas,
 32 et pariter jussus stringere frena sciat.
 33 Ille sedens vasto ventorum rector in antro,
 34 luctantes precibus mitigat atque minis.
 35 Adjicit et poenas, sibi si parere recusent,
 36 nec tamen hos verbis verberibusque regit :
 37 quin animis odio saevaque tumentibus ira,
 38 horrisono circum claustra fragore fremant.
 39 Narravi fratrumque genus moresque, ducemque,
 40 nunc generis causa est subjicienda mihi.
 41 Tithoni nuptam junxisse cubile giganti,
 42 non est in vanum fabula ficta jocum.
 43 Scilicet his voluit figmentis docta vetustas
 44 ventorum dubiam prodere materiam.
 45 Est vapor ille gigas recubans immanis in antro,
 46 extortum ventis suggerit ille suum.
 47 Ille latens gravida clausus telluris in alvo,

48 sollicitat pulsu regna profunda suo.
49 Et subjecta ferens aegre sibi terga cavernis,
50 furtivas quaerit, prodeat unde, vias.
51 Quod si nulla dolo datur hinc exire potestas,
52 per medios montes rumpere tentat iter.
53 Indignansque Jovi crudelia vincla minatur,
54 solvere ni laqueos claustraque dura velit.
55 Nec tamen ille pedum laqueos, nec claustra relaxat,
56 expertae metuens fulmina saevitiae.
57 Donec ei jugens tacitos Pallantis amores,
58 excutiat pedibus vincula, poste seram.
59 Hic tu Memnonia Solem pro matre notabis,
60 nec mora quaesiti postmodo certus eris.
61 Namque parens motus, et motus creditur auctor,
62 qui facit, ut vigeat, quicquid in orbe vides.
63 Hoc oriente, sibi capiunt vaga flamina vires,
64 et vires perdunt hoc oriente suas.
65 Extrahit ipse cavo terrae de ventre vapores,
66 et simul extractos ipse calore necat.
67 Causa patet, varians sublatis copia flatus,
68 quae minor usta perit, major in alta volat.
69 At postquam medias perrupit ad aeris oras,
70 frigoris impulsu rursus ad ima redit.
71 Ne tamen assuetas repetat detrusa cavernas,
72 et subeat veterem, caelitus acta, locum :
73 non sinit halituum quae tendit in obvia moles,
74 nec levitas, motu quae petit alta suo.
75 Ergo dum calidis concurrunt frigida, siccis
76 humida, supremis infima, bella movent :
77 in latus obliquum magno luctamine vergit.
78 Arctatur medium qui per inane vapor.
79 Unde vagus crebris ictus concursibus aer,
80 raucisonos fundit vi quatiente sonos.
